

In festo S. DAMIANI DEVEUSTER leprosororum apostoli
HYMNUS AD VESPERAS

Cordium Sacrorum adamande praeco
praedicans, sed plus operans amorem,
Illa quo iuncta et feriunt tuum cor,
o Damiane.

Nuntium laetum dare missus ad quasdam
insulas paucis prius occidentis
advenis tritas veheris salutis
nuntius ipse.

Nemo paganam feritatem ad istam
mitigandam audet redamare Christum
in suis parvis minimisque: Fratrum
tu misereris.

Multa fert patratque animus ferendo,
multa piscatur sapiens in alto.
Ardet ascendisse amor altiora
pro Cruce Christi.

Insula est quaedam, pelago remota,
triste leprosis miseris asylum,
hic sacerdos cum famulis amanter
consulis aegris.

Res videtur difficilis iuvare
perditos istos homines et eheu!
Nulla praebetur vitiis medela,
si periit spes.

Caritas vicit patiens amorque,
vulgus infelix adamat patronum,
diligere sese videt atque sentit
spretum alioquin.

Pastor et tutor gregis abdicati,
ipse et infectus lue lacrimosa
pro suis passi Dominique imago
vadis ad astra.

Et Patrum et Natum et canere ex utroque
prodiens Flamen decet omne guttur
Trinitatem individuum fatendo
semper et unam.

Amen

JOHANNES GEORGIUS BERTRAM